



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De interruptione diuini Officij. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

contemptu & scandalo, ex iusta causa exculari potest ab omni peccato, *Bonac. disp. 1. quest. 3. punct. 4. num. 5.*

3 Grauior autem erit culpa, si in Choro peruertatur ordo, *Suar. lib. 4. cap. 11. num. 10. & aly, qui putant esse ex suo genere culpam lethalem; negat Bonac. ibidem num. 5.*

De interruptione diuini Officij.

TIT. IX.

1 **Q**ui diuidit Matutinum à Laudibus, nocte tota interposita, non peccat, *Doctores apud Bonac. disp. 1. quest. 3. pun. 3. num. 11. Azor. vult esse veniale sine causa, cap. 8. quest. 4.*

2 Qui diuidit Nocturnum à Nocturno per horam vnam pluresve cum iusta causa, non ultra tres horas, non peccat, *Doctores apud Bonac. num. 13. contra Azorium loco citato.*

3 Qui diuidit Horam paruam vel Psalmum ex causa, non peccat, *Azor. quest. 5.*

4 Interruptio ad longum temporis spatium probabilius obligat ad repetitionem, *Nauarr. cap. 16. num. 75. ad breue tempus, etiam ad iocum vanosque sermones, non obligat, Nauarr. num. 75. & cap. 10. num. 42. & cap. 16. num. 66. At in vtroque casu non esse repetendum, docet cum alijs Bonac. sup. pun. 2. §. 1. num. 28. Peccari saltem venialiter, sine iusta causa, est dicendum, num. 30.*

5 Qui interrumpit animo continuandi, vt aliud agat, non tenetur repetere; imò nec ille, qui animo repetendi, & postea non repetit, *communiter Doctores apud Bonac. num. 31. contra Nauarr. & Azor.*

De penis circa diuinum Officium. CAP. VI.

1 **B**eneficiarij habentes onus recitandi diuinum Officium, titulo beneficij tenentur etiam ante Iudicis sententiam ad restitutionem fructuum pro rata omissionis Officij, si, elapsis sex mensibus post obtentam beneficij possessionem, Officium culpabiliter non recitauerint, etiamsi alio die pensum prætermisum supplere conentur, nisi fortè pars omissa sit leuis. *Bonac. explicat, & probat singulas huius axiomatis partes, disp. 2. quest. 5. pun. 2. toto.*

2 Rata omissionis & restitutionis est, ex Pij V. Bulla, vt pro toto Officio vnus vel plurium dierum restituatur fructus beneficij, seu beneficiorum, qui illi seu illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: pro Matutino dimidiã partem fructuum, pro ceteris horis simul aliam dimidiã, pro vnaquaque hora sextam partem vnus diei restituant.

3 Qui paucos versiculos aut Psalmum omittit, non tenetur quidquam restituere, *Nauarr. cap. 9. & cap. 10. num. 42. & aly apud Bonac. loco cit. num. 11. & eò magis, si tenue sit beneficium: quòd si sæpius partem notabilem omittat ex pluribus omissionibus compositam, quibus singulis non respòdet pars notabilis fructuum, nihilominus tenebitur ad restitutionem, Bonacin. num. 14. contra Monetam nostrum negantem, cuius opinio mitior non est improbabilis, & mihi placet.*

4 Qui recitauit absque attentione, tenetur ad restitutionem, *Nauarr. & aly cum Bonac. ibid. num. 17.*

B 2

5 Omit-